

## STATUTUM VIII.

**De Custodia et Clausura Collegii.**

Quia Domus sua uni cuique debet esse tutissimum receptaculum. (l. Plerique. ff. de In jus vocan.) Ideo statuimus ut Clarissimus Dominus Praepositus pro tempore existens Tertianum serio moneat et negligentem suo modo adigat, quatenus continuo ne damnum aliquis Clarissimorum Professorum per ejus negligentiam et divagationem patiat, ingredientes et egredientes de Collegio observando, invigilet, illud nocte adveniente claudat ita tamen, ut si aliquem Professore, etiam in negotio proprio diutius morari contingat, eundem expectare teneatur et sit adstrictus, nihilominus Clarissimus Professor saepius et absque causa rationabili diutius extra Collegium ne moretur, si secus fecerit per Dominum Praepositum primo moneatur, ac demum (maxime si sit aliqua de ipso suspicio) per Officium Domus juxta Statuta inferius descripta puniatur. Honesti enim Viri debent esse in omnibus suis nocte adveniente. (DD. in l. 2. §. Et quia Magistratibus. ff. de Origin. Juris et colligitur ex l. Hoc edictum. §. Labeo. ff. de lis, qui dejecerint vel effugerint.)

## STATUTUM IX.

**De Rationibus per Clarissimum Expraepositum faciendis.**

Quoniam ex Officio suo et administratione sibi commissa calculum et rationem (per Authen. de Sanctiss. Episcop. §. Oeconomque) cum diligentia bonae fidei conjuncta. (l. Si ita ff. de Manumiss. testamen.) absque omni dolo. (l. Thais. §. stichus, ff. de Fidei Commissar. libertat.) integre aperte et dilucide (d. l. Si ita. et l. Qui filium. ff. de Manumiss. testamen.) reddere teneatur. Ideo statuimus, ut statim post electionem Praepositi et Consiliariorum ejus, Clarissimus Expraepositus de expensis et perceptis generaliter omnibus sub paena Marcarum Quinque faciat calculum et Quietationem seu clarius subscriptionem suorum Registrorum a Clarissimo Praesidente Convocationis, seu

illo, cui id per Convocationem Domus committetur, obtineat, liberque pronuntietur. Calculus enim rite et legitime redditus, rationes distrahit. (tot. lit. ff. de Tutel. et rationib. distrahen.) et ab obligatione instar transactionis liberat. (l. Si pure. ff. de Fideicomissar. libertatib. et l. Emptor. §. Lucius. ff. de Pactis.)

## STATUTUM X. (VII)

### **De qualitate Professoris ad Collegium vocandi.**

Cum discere quisque prius debeat, antequam alios doceat. (can. Non negamus. dist. 61). Ideo statuimus nullum ad Collegium vocari debere, nisi illum, qui in lectura bene exercitatus fuerit Juridicasque lectiones diligenter sub Clarissimis Doctoribus et Professoribus Utriusque Juris exaudiverit et super hoc fidele veritatis testimonium ab illis habuerit. Absurdum enim foret aliquem prius velle docere, quam discere. (can. Si officia. dist. 59.)

## STATUTUM XI. (VIII)

### **De Recommendatione Professoris vocandi.**

Quamvis Professorum ad hoc Collegium vocatio ex antiqua consuetudine ad universitatem pertineat, tamen Praepositus Collegii pro tempore existens inhaerendo antiquae et rationabili consuetudini et Conclusioni per Universitatem Anno Domini 1714to latae et Libro Conclusionum insertae, occurrente vacatione, habito prius cum Clarissimis Dominis Doctoribus et Professoribus actu Collegium inhabitantibus consilio et assensu obtento, vocandum Professorem actu laborantem Domui et Facultati proficuum Universitati praesentet, Universitasque hunc et non alium ad Collegium et Professionem vacantem, vocet ac a violenta subjecti, vel subjectorum impositione sub nullitate ipso facto vocationis absteat. Quae enim per vim fiunt carere debent robore firmitatis. (c. Ad audientiam. de lis, quae vi metusve causa fiunt.)